

Quod mihi conjunxit magnum Natura GEHLERUM,
Gratulor ipse mihi! gratulor ipse meis.
GEHLERI siquidem mihi consuetudo lapillis
Charior est, Veneti quos habet unda maris,
O utinam! tacito reprimō sub pectore votum:
O utinam! sed plus dicere Musa vetat.

Ingenua Mens Gaudentii,

FINIS.



74.
1606.

EPITALAMIA
Reverendo & docto Viro, Dn.
SEBASTIANO
ALBINO,
Pastori Ecclesie Dittersbachianae fidei,
Secundum Sponso:
&
Pudicissimae Virgini
MAGDALENÆ,
Reverendi, Clari ac Doctissimi
Viri, Domini
CHRISTOPHORI EBERHARDI,
Pastoris Ecclesie Reichenbachianae, in Su-
periori Lusatia, vigilantissimi, Filia, Sponsa:
Boni ominis ergo scripta
(ab amicis bene precantibus,
Anno 1606. Die 14. Novembris.

GORLICHII
Literis exscripta Iohannis Rhambæ.



444122 w w

Damna DEVS largo compensat munere: &
In rebus adjuvat suos. (arctis
Mæror, & anxietas, sublatâ morte Mari-
Cor ambiebat anxium: (tâ,

Gaudia pertentant pectus; dum casta puella
Te brachiis amplectitur,
Mærorem excutiens, & latâ fronte refundens,
Amiffa luctu gaudia.

Vtq; hedera annosas complectitur arctius alnos;
Et vitis ulmum detinet:

Sic Sponsa arridens tibi suavi murmure lingua,
Te detinebit firminus.

Non iterum acceptâ Lyrneſide Latus Achilles
Pra gaudio tam gestiit:

Nec tam lata fuit quondam Icarioris, Ulyſſem
Reverſum ut aspexit ſuum:

Quam Sponſâ aspectâ letaris, Sponse; viciffim
Te Sponſa conſpecto exilit.

Certate officiis, animo certate fideli,
Et mutuis amoribus.

Nec thalamum infestet discors discordia: felix
Sed floreat concordia.

Vnanimi duo conſpirant ubi pectora nexu,
Ibi ſalutis gratia eſt.

Daniel Staudius D. I. U. gratulatur.

EPIGRAMMA

In Ortum Achronycum Supercilij Ceti stellæ 4.

magnitud. de natura h, continens die Nuptiarum

angulorum cuspides, οὐροδεσπορίων & Lithurgia socium

tam in Essentia, quam in Accidente.

Hanc retulere duces Coeli, pie Sponse, figuram:

Cum supplex fieret Sponsa pudica tibi.

Hispida barba Capri conscendit limine primo:

Atq; ferit cornu plectra sonora Lyræ.

Scorpius ambit ovans medii fastigia coeli:

Atq; manu Martem tunc Ophiuchus habet.

Sirius Octipedis, sed torret brachia Cancri,

Phœbus ubi æquoreo flumine mergit equos.

Inde suum peragit cursam per Cornua Tauri

Luna micans: ferit hanc Gorgonis ense caput.

Lætus honore duces reliquos supereminet omnes

Mars: & Mercurium cum Iove sorte fovet.

Sidera quid referant, alijs memoranda relinquo:

Tædia ne videar nectere longa moræ:

Namq; premor magno curarum pondere: Natæ,

Instruo dum thalamos nunc simul ipse, meæ.

Ergo det facilem cursum: mea vota secundet

Iova DEUS: liber nam regit astra manu.

Gregorius Eichlerus Gorl. Minister

verbi divini in patria Dn. Affini omnia

felicia & fausta precatur.

Ad Reverendum, Eruditum & dignissimum Virum,

Dn. CHRISTOPHORUM EBERHARDUM, clocantem

filiam MAGDALENAM Virginem pudicissimam, &c.

SYRA.

Vidi ego collacrimans: veteri-né hac gratia facto?

talia pupillum num meruere patres?

Felices quorum sunt pignora paucula lecto,

felices quorum pignora IOVA rapit,

Felices etiam, queis vita tempora durant,

progeniem certâ dum statione locent.

Sed sileo hac: nec enim profunt lamenta: dièq; hunc

esse voluptati vult genialis Hymen:

Sed nec opis nostra est, sobolem evexisse: miselli

vivimus: & citò nos mors inopina legit

Nec cadat in quenquam tantum scelus, ut sibi sumat

velle praire, suis prospiciendo, Deum.

Ergo age præstemus, quantum datur: ipsus IOVA

pupillis spondet ferre rogatus opem.

Ipse levans inopes terra de pulvere tollit,

magnanimos proceres inter & esse jubet.

Tu quoq; grande opus, & laudabile, & utile patras,

sensato gnatum dans pater ipse viro.

Gratulor inde tibi: Gnatæ Generoq; jugatis,

qui jugat, adjungat gaudia mille. Vale.

Ανάχαρτα.

CHRISTOPORVS EBERARDVS,

DA PVROS CHRISTE RVBORES.

Laus tibi iusticia: faciei confusio nobis:

nil nisi te coram massa pudenda sumus.

Patrata labis PVROS DA CHRISTE RVBORES,
ut roscolotus sanguine latus agam.
Tob. Siebenhaar.

A L I V D.

IMbrifera nubes lacrimarum cedit: Titan
clarior ALBINO, & purior aura, micat.
DOROTHEAM dederat Deus huic: sed dulce repo-
depositum, linquens pignora pulcra patri, (scit
Pignora vultu animo charam referentia matrem,
mærorem viduo quæ minuere toro.
Hunc alio rursus jam munere Iuppiter ornat,
dum vitæ sociam MAGDALIN ire jubet.
Sponse manu grata capias id amabile munus,
Attalicis gazis nobiliusve putes.
Orta bonis proavis, & avis, propagine utrâq;
ex patre qui Christi dogmata PVRA sonat.
A teneris dia Virgo pietatis alumna:
scilicet hoc sanctæ virginitatis opus.
Pigra domi segnis non pulvinaria pressit:
Nec subiit vani vana theatra gregis.
Non alias inter vestitu turgida & auro
spectatum loca per publica visa fuit.

Di

STRACIDES Cap. VII.

ELOCA FILIAM, ET GRANDE OPUS
FECERIS: ET HOMINI SEN-
SATO DA ILLAM.

MAgnum opus, atq; albo signandum crede lapillo,
si natas nuptum das pater ipse, facis.
Innumeris nam te curis exolvit: in aurem,
cum bene succedit, stertere utramq; potes.
Si sunt pulcella: pulcra custodia forma
difficilis: fraudi est forma pudicitia.
Mille vel insidiis petulantum turba procorum
flexibilem sexum sub sua jura vocat.
At si deformes: juvenum num quisquam adeo ex-
MARCVLPHI possit cui placuisse soror? (cors
Hæ resides sine honore manent, sine nomine: Averni
peniculos, ajunt, vendere præ foribus.
Quid si dotata? magis dos, quam gnata, petetur:
consumptâ in ventos dote volabit amor.
Conjugibus fient irritamenta tumoris;
sunt mea, non tua, pars utraq; dicet, opes.
Si fuerint inopes: fatui sunt fabula vulgi:
rarior has mantat serior atq; torus.
Aurea nunc etenim sunt secula: plurimus auro
vanit amor: sine quo dissolvatur amor.

A 3

Fallitur

Fallitur & fallit malefana at opinio mundi,
formam ac divitias quæ bona summa putat.
Quæ sunt cunq; foris bona, non sunt propria: sed Fors
suggerit: internis sis cumulata bonis.
Sit mihi, quam pietas, probitas, patientia prudens,
& pudor exornat, filia: latus ero.
Sic EBERHARDE tibi divinis dotibus auclæ,
prudentiq; animo pradita nata cluet.
Hanc pridem ALBINO prudensq; sciensq; locasti:
nunc etiam nuptum das pater ipse viro.
O facinus pulcrum, quo nil patre dignius: & quod
haud dubie ad fines ducet IOVA bonos.
Nos animas viles, & purgamenta notari,
qui ferimus mundo, scis, sacra iussa Dei:
Circumstant odia hinc sævissima: proq; labore
exhausto intentant vulnere, probra, necem.
Qualiter & nostros soleant tractare nepotes,
vidimus: & testes corde gemente sumus.
Pastorum pia stirps proh despectissima: honorq;
major licitori carnificiq; datur.
Vidi ego nostrorum relictos flebile ditum
ante fores vacuo ventre sonare melos,
Tabificaq; fame trahere arida membra, minutis
de micis querulâ voce rogare stipem.

Vidi

Dî nostris foribus tales avertite pestes,
quæ pleno fastu nil nisi grande tument.
Sic mercatorum videas prostare tabernas:
gemmas per digitos, brachia, colla, manus:
Turrigeram Cybelen diademate, crinibus emtis:
per feces pictum perq; Alabastra caput:
Brachiolo tereti manicas, ceu nautica laxas
vela, & quæ extremi Seres & Indus olent:
Calceolos streperos: verrentia syrmata terras:
Sidonias pallas: cycladas undistuas:
Cycladas, ingressum quæ per conclavia sistunt,
oblique sursum ni sua fila trahant:
Cycladas, acclivi Pasicompsa ubi sede recumbit,
nudam ac conspicuam crura genuq; dabunt.
Hac simplex: coluit priscâ probitate parentes:
ingenuâ morum munditieq; viget.
Est operum patiens: oecurica munia novit,
& ratio pinguis quæ sit habenda bovis.
Nec tamen huic formam facilis natura negavit,
corporis utq; animi dona sat ampla tulit.
Ecce Charin spirant, Venerem, placitumq; leporem
frons, oculi, auricula, colla, labella, gena.
Quæ bene si spectes, quid non laudabile dices?
virginei usq; adeo est gloria Sponsa chori.

A 5

Ergo

Ergo Iovæ gratus donum hoc cape Sponse. Sed heus tu,
 falsiloquus vera hæc narrat Apollo tibi:
 Fiet: ubi Sponsam complexu Sponsus habebis,
 hoc problema sibi dissoluisse volet:
 Tempus ad officium quod nam magis aptius extet,
 Phæbus an exoriens? Phæbus an occiduus?
 Mane salubre magis thalami decerpere florem,
 serò voluptatum plus habet, inque, Venus.
 His contra arridens, oculos dejecta modestos,
 atq; rubescenti succinet ore tibi:
 Tempus utrumq; placet: Venus ut qua mane saluti,
 illa voluptati sit mihi sera Venus:
 Mane voluptates, ut vespere, credo salubres:
 si libet, & medio des Episagma die.
 Quid dices? facies? nimium ne parcus amato,
 iudicio, indicio, victe SEBASTE tuo.
 Fac: sed & ante Iovam venerare: amplectere Spon-
 sis placidus: turbet nulla querela torum. Sam:
 Aligeri vigiles sic vestra cubilia cingent,
 Tartareum ne quod virus obesse queat.

ANAGRAMMA DVO IN SPON-
 SORVM NOMINA.

Sponsus ad Sponsam:

SEBA.

SEBASTIANVS ALBINVS: MAGDALENE.
 BELLA AGNA, SANAS ME DE NISV BVSTI.

Quàm propè eram busto? at DE NISU BELLULA BUSTI
 ME SANAS, agnâ blandior AGNA mihi.

Sponsa ad Sponsum.

SEBASTIANVS ALBINVS: MAGDALENE.
 VNA BVLLA ES: ABSTINEAS DE MAGNIS.

DE MAGNIS mundi: sunt vana: & tu VNICA BVLLA ES,
 respiciens cœlos, ABSTINEAS animum.

Thobias Siebenhaâr pastor in
 inferiori Seifersdorff.



CANTORATUM
NOVELLUM,

1674. A.

Quem
VIR

Præstantissimus Doctissimusq;

DN. ANDREAS
THESEUS,

Rektor & Cantor primùm Boleslav. per
Annos XI. deinceps Cantor & Collega Gymn.
Gorl. per Annos XXXII. ut fidelissimus, ita
dexterrimus, depontanus deniq; Senex
per Ann. IV.

Natus Boleslav. Anno clō Is XCIX. d. 15. Aug.
Denatus Gorlic. Anno clō Isc LXXIV. d. 25. Jan.

URANIÆ

in

*Angelico hodie Choro post varios vite casus eme-
ritosq; in hoc Orbe Scholicos labores*

vocatus tenet,

gratantur

GYMNASII GORLIC. MAGISTRI,

Collegæ olim olim conjunctissimi.

GORLICI

STANNO ZIPPERIANO.



YYY123

XX